



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Art. II. De Essentia Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

nam, & actus purus, quæ omnia prædicata concipi non possunt, si DEVS in potentia duntaxat, & non actu existens conciperetur.

Q. 4. An sit de fide, quòd probari naturaliter possit, DEVM creator? R. negativam quidem sententiam à Vasquezio; verum contrariam, quam Suar. Valent. & alii tenent, communiorem esse, eò quòd Scriptura Sap. 13. & alibi asserens, Creatorem ex Creaturis cognosci posse, debeat in sensu proprio, scilicet de Metaphysica demonstratione accipi.

ARTICULUS II.

De Essentia DEI.

Pro meliori intelligentia hujus tituli sciendum est, hæc duo Vocabula *Essentia* & *Natura* frequenter quidem pro eodem accipi, ab aliis tamen post S. Thomam communiter distinguuntur, ita ut Vocabulum *Essentia* accipiat pro radice causarum perfectionum, & passionum, quæ in aliquo ente reperiuntur; Vocabulum *Natura* verò pro principio Operationum sumatur. Quà distinctione supposita

Q. 1. In quo prædicato *Essentia DEI* consistat? R. Varias esse in hac Controversia sententias; nam 1. aliqui cum Suarez & Molina eam in cumulo omnium perfectionum continent. 2. Alii cum Vasquez & Arriaga in actu primo Intellectivi eam consistere putant. 3. Alii cum Esparza & recentioribus communiùs, eam in prædicato Aseitatis seu Entis à se sicam esse volunt, eò quòd hoc prædicatum videatur esse radix omnium aliarum perfectionum.

Q. 2. An *Essentia DEI* distinguatur ab *Attributis illius*? R. Realiter & identice non distinguuntur, uti communissima sententia Theologorum docet. Contra Gualterum quendam apud Tanner. q. 2. du. 2. n. 1. qui absolute voluit eam realiter strictè distinguuntur; & contra Scotum & ejus Asserentes, qui saltem minus strictè realiter, seu ex natura rei eandem ab *Attributis* distinguunt. Ratio autem communis sententia est, quia, si admitteretur realis distinctio, per eam tolleretur simplicitas DEI, neque unum prædicatum seu attributum de altero prædicari posset.